

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Andreas Hojer Hermann Lipstorp

## **Disputatio Metaphysica De Materia Et Forma**

Rostochi[i]: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729134571>

Druck Freier  Zugang



A. Hoyer,  
R. U. phil. 1613.



*Phil.* D. O. M. A. 129.  
DISPUTATIO METAPHTSICA 88  
*DE*  
**MATERIA ET FORMA**

*Quam*

Consensu & auctoritate amplissimæ Facul-  
tatis Philosophicæ in celeberrima Rosarum  
Academia.

SUB PRÆSIDIO

M. ANDREÆ HOJERI  
Ulsdomo-Pom.

*Publicè proponit.*

HERMANNUS LIPSTOR PIUS  
Lubecensis.

Habebitur *disparatio in Collegio Unicornis*  
6. Octob. horis matutinis.

OS(:) SO



ROSTOCHI

Typis exscrispsit Joachimus Pedanus  
Anno clc IC CXIII. 1613.





Viro Amplissimo, Consultissimo, longoq; re-  
rum usu & experientā conspicuo.

Dn. CHRISTIANO BESELIN Inclutæ Reip.  
Rostochiensium Senatori dignissimo, vigi-  
lantiſſimo. Dno. Affini meo pluri-  
mum honorando.

ut &

Spectatissimis, prudentissimis, omniq;  
virtutum laude prestantissimis Viris.

Dn. C O N R A D O Forstenaw.

Dn. CHRISTIANO Gusebeer.

Dn. BERNHARDO CROUVELIO:  
Civibus ibidem integerrimis ac primarijs.

Evergetis Fautoribus ac hospitibus meis hanc  
disputationem Metaphysicam  
honoris monumentum,  
observantia symbolum,  
studiorum testimonium.

Statuo

mitto

defero

Hermanus Lipstorpius Lubecensis.

25 26

# DE MATERIA ET FORMA.

## THESIS I.

Uperiori disputatione habuimus causas Externas, sequuntur Internae: Materia & Forma.

2. Ante omnia autem ut Materiam definire tentemus, inquirendā est ejus causalitas, que cùm intrinsecè constitutā cum forma effectum, non habet causalitatem extra se, sed in gremio suo, nimis rūm receptionem forme. Arnis. Epit. Met. p. 91.

3. Nam ut Fabellus argumentatur, in eo consistit causalitas Materie, per quod disponitur ad formam & compositum.

4. Disponitur autem per potentiam passīam, & potentia passīa est recipere formam, & sustinere ad constitūendum compositum.

5. Si vero ipsam potentiam loco causalitatis sumserimus, rectè instant Fonseca & Soarius, potentiam abstrahi posse & concipi sine causalitate, quandoquidem interveniente absolute Dei potentia, Materia aliquid esse potest, licet nullius compositi causa sit.

6. Hinc Aristoteles Materiam definit principium, ex quo inexstante aliud sit. τὸ εἶτον, ἐξ οὗ πεταί τὸ έντιον. 2. Phys. t. 27. & 5. Met. t. 2.

7. In qua definitione Philosophus subtiliter respxxit ad duplēm Materiae causalitatem, formam scilicet & compositum.

8. Formæ causa est in fieri, dum ex potentia educitur: Compositi vero in existendo. Quæ duo una actione sunt, & ita subordinata sunt, ut Materia exercendo causalitatem suam erga formam h. e. recipiendo illam, sit simul materia & pars compositi.

9. Quamvis autem varijs modis Materia selet diuidi, tamen ad nostrum institutum tantum facit divisio in primam & secundam.

10. Materie prima doctrina ut sine confusione intelligatur, duplex ejus consideratio ex magna digress. Themistij 2. Phys. est animadvertisenda. Primum enim consideratur Metaphysicæ seu absolute secundum suam Entitatem, tanquam insimus Entis realis gradus. Deinde Physicæ seu respectivæ, quatenus est subiectum generationis.

11. Priori modo in sua nempe natura considerata Materia exactè definitri non potest, quia non habet aliam formalem, qui rem facit intelligibilem. Propterea per negationem sic cognoscere eam docuit nos Aristot. 7. Met. t. 8. λέγω δὲ ὅτι λόγος αὐτῶν μήτε τὸ μήτε ἄλλο μηδὲ λέγεται, διότι οὐδεὶς ὁρᾷ τὸ οὐδέτερον, quæ definitio pure negativa est, quia non dicit, quid sit Materia prima, sed quid non sit, ob summam scilicet Entitatis, quæ in ea reperitur, exiguitatem & debilitatem.

A 2

12. Cum

12. Cum enim hoc subiectum est primum & imperfectissimum est in genere Entium: idcirco etiam ex se minus est cognoscibile.

13. Posteriori modo considerata definitur i. Phys. t. 82. τὸ πεῖστον ἵππος καὶ μηδέν εἴκεσθαι. οὐ γίνεται η ἀναπόροις μη τὸ συμβεβηκός. que definitio respectiva est, & exprimit Materiam tantum respectu physico. quia Physicus non penetrat intimam Materie naturam, sed considerat eam tantum, quatenus est principium corporum.

14. Insuper vero docuit nos Arist. Materiam primam cognoscere per analogiam, seu ut Averr. ait, per comparationem rei similis. Sicut enim se habet as ad substantiam, cera ad sigillum recipiendum, ita se habebit Materia prima ad formas recipientias. Nam ut as nihil praese habet forme artificialis, & cera nihil praese habet sigilli imprimendi, ita nec Materia prima in se formam ullam habet. Et hanc Materie cognitionem Plato in Tim. vocat adulterinam.

15. Quibus premissis materiam primam sic definimus, quod sit subiectum primum, ex quo inexistente res sunt, & in quod ultimò resoluntur. sive simpliciter Materia, & omni forma separata, sed ad omnes universalem respectum habens.

16. Hec autem omnia ut lucidius intelligantur, placet nonnulla deducere. Et ut à generalissimā & primā notione auspicemur, Materia primam esse, ex Aristotele. i. Phys. t. 51. colligimus hoc modo: cum omnis substantia naturalis est transmutabilis; omnisq; transmutatio est de contrario in contrarium. nullum vero contrarium, contrarium sibi simile efficit, sed potius corruptit. utrumq; autem tertium quoddam transmutat. igitur generationi rerum subiecto siue materia opus esse, que contraria vicissime recipiat, ut ex eo alterum generetur.

17. Deinde contra Plotinum, qui lib. 8. Materia derogat bonitatem, dicens ipsam esse malum, cum se numero apud Philosophos audiat Materia non esse Ens, ita afferimus.

18. Bonum est affectio Entis, & cum Ente reciprocatur, ita ut quantum aliquid de Ente participat, tantum particeat, quoq; de bono. Materia vero est Ens, licet sit imbecillum Ens, habens aliquam entitatem, quia est extra nihil. Quantum ergo habet de esse, tantum etiam de bonitate.

19. Unam quoq; esse materiam primam Aristoteles i. Phys. innuit, dum dicit: Et autem Materia quoddam numerabile & q. digito demonstrabile.

20. Potest hoc probari i. quia Materia habet esse permanens. Omne autem Ens habet sua essentia conservationem per unum. teste Dionysio. Et quod non est unum, non habet essentiam. 4. Met. t. 10. 2. Que inter se transmutantur, habent unam materiam. 1. de ort. & int. t. 1. tum quia transmutatio debet fieri in uno subiecto. i. Phys. t. 62. tum quia nequeunt in se indicem agere, que sunt in diversis materijs. Omnium igitur transmutabilium unam necesse est esse Materia, unum subiectum.

21. Hoc autem argumento in rebus sublunaribus Materie unitas tantum ostendit.

offenditur. Nam materiam cœli ab hac diversam esse, secundum Arist. demonstrat Arnis in Phys. t. de cœlo. p. 203. & seqq.

21. Cæterum quod Averr. dicit, Materiam unam esse non positiæ, sed privatiæ. hic error Averrois fluxit ex falso principio, quod putarit omnem positivam unitatem sequi formam, cum tamen unitas non cum forma, sed cum Ente reciprocatur.

22. Quare cum Materia jam antè est Ens positivum, quam à forma actetur, igitur positivam habet unitatem.

24. Et sic offendimus, quomodo se habeat Materia ad simplicia transcendentia, videndum porrò est, quomodo se habeat ad actum & potentiam, in quibus consistere ejus naturam certum est.

25. In pura potentia esse ad formas recipiendas, soluit Arist. I. Phys. t. 82. & alibi, ubi Materiam vocat puram potentiam. Veluti as in pura est potentia ad hanc vel illam formam induendam.

26. Non autem existimandum est, ejus essentiam in mera potentia esse postquam, sicuti male sentit Thomas I. par. quest. 66. art. 2. ubi dicit: Materia secundum id quod est, est in potentia ad formas.

27. Nam I. Materia distinguitur à forma, non autem distinguitur realiter negatiæ, ut Ens & non Ens (alias enim Materia esset purum nihil) sed ut Ens & Ens, habet igitur quoddam esse seu Entitatem quandam: quamvis eam debilissimam.

28. II. Potentia passiva revera in materiam primam recipitur: Accidens autem reale non potest recipi in id, quod non est. E. Materia prima est Ens quoddam actu, quia alias non posset esse causa Entis in actu, nimis rurum potentie realis.

29. III. Materia dicitur Arist. Substantia 2. de ani. I. & alibi. Substantia autem necessariò est aliquid.

30. Hinc demonstratur, Materiam esse actum, & pricipue hoc argumento. Quantum aliquid processit à non esse ad esse, tantum processit à potentia ad actum. Materia autem per suam Entitatem processit extra nihil E. extra potentiam quoque. & per consequens est actu.

31. Propterea rectè sequimur hac in parte Scot. 2. sent. d. 12. q. 1. qui Materie prime assignat actu Entitatum, & vocans actu Entitatum, rem quamvis extantem extra nihil.

32. Et Themistius dicit: Essere Materie non est esse potentiae, sed ipsa prius secundum se est aliquid, deinde fit aliorum materia, ut ad hac potentiam habeat.

33. Qui materia etiam ostendi potest ex analogica ejus cognitione. Ceterum enim primo habet esse quoddam, postea super hoc esse fundatur potentia recipiendi formam artificiale: Ita Materia suum habet esse, cui potentia postea accedit, ad hanc vel illam formam recipiendam.

34. Et hanc sententiam sequitur Averr. quoque I. Phys. t. 70. ubi duobus argumentis probat, potentiam non esse materia essentiam.

35. Verum videtur Averr. sibi contradicere, dum de subst. orb. cap. 1. scribit:

A. 3.

Materiam.

Materiam substantiari per posse h. est constitui in sua essentia per potentiam. quod ex multis quoq. Aristotelis locis probare conatur Fonseca, ubi omnem actum detrahere videtur Materie, inq; pura potentia ejus naturam collocare, sicut & Averr. s. Phys. t. 8. scribit: in esse Materie non admisceri actum omnino.

36. Sed ut hec conciliemus, iterura configendum nobis est ad digress. Therai-  
stij, in qua duplicitate docens Materiam considerare, i. ut gradum quandam Entis, &  
sic absolute & per se esse actum. Deinde ut materiam vel subjectum compositi, & sic  
essentialiter recipere potentiam, quia notio & ratio materie est esse puram potentiam  
in istarum rerum genere, quarum dicitur Materie, alias enim nihil recipere.

37. Tota igitur res sic concludatur. Id quod Materiam primam vocamus, ut  
est Entis quidam gradus, ita habet actum: sed ut concipitur sub notione materie &  
subjecti est pura potentia sc. ad formas recipiendas.

38. Ut autem formas perpetuo sustineat, natura illi induxit appetitum i. qui  
facit ut generationes in aeternum perpetuentur. nec unquam deficere possint.

39. Et ut in se tota recipiat formas, induita est quantitate indeterminata se-  
cundum Averr. qua cum generari non possit, necessario primae materie concreata est;  
sicut ipsa incorruptibilis, quia contrarium non habet.

40. Ita etiam videre est, quod materia prima, ex qua componuntur substanc-  
iae, eadem sit quoq. materia seu subjectum accidentis, nimirum quantitatis.

41. Quod vero Pererius immediate quoq. in materia prima ponit qualitates  
primas, falso est. i. quia ille sunt actib;: Materie autem tantum passiva. 2. sunt  
determinate, haec indeterminata ad omnes formas & qualitates.

42. Et hucusq; de Materia prima.

43. Materia secunda non est simplex materia, sed forma quapiam induita, con-  
tracta & signata. Unde & tantum secundum quid Materie est, si respicias ad poten-  
tiam primae materie: imo ad duplacet causalitatem seu causandi modum: nempe  
prior haec ut prima sit subjectum primum. 2. ut in eam ultimò res resolvantur. Neu-  
trum competit secundae materie.

44. Hujus sunt tres gradus. 1. Elementa. 2. partes similes, ex quibus orga-  
nicae constiutuntur. 3. partes organicae, ex quibus totum corpus componitur.

45. Ceterum diversa est ratio Materie, quando refertur ad Formam, quam  
cum refertur ad Accidentia.

46. Materie est substantie potentia, quia ex ea & forma debet unum per se  
sieri. Non autem sit unum per se nisi ex actu & potentia. Ex duobus autem comple-  
xis sit unum per accidens.

47. Ex Accidente vero & sua materia seu subjecto. 1. sit unum per accidens,  
idq; propterea, quia subjectum jam in sua natura est completum. 2. ex duobus acci-  
dentiis in uno subjecto harentibus, ut rufum est Muscum.

48. Hinc per similitudinem & analogiam tantum accidentibus tribuitur materia,  
non

non quidem ut materiam propriam habeant, verum cum illorum esse sit inesse, insinuatur autem subiecto, subiectum illorum materia censetur.

49. Atque hinc in accidentibus betuit Aristoteles 8. Met. t. 12. aliam materiam querere quam subiectum, quod vocant schole philosophicae materiam in qua, ac si diceret, in qua herent accidentia.

50. Ratione reddit Janus 8. Met. q. 8. Si enim accidens haberet per se materiam, tum unum posset mutari in aliud sine mutatione subiecti, et ita frigiditas mutaretur formaliter in caliditatem, quod est contra Philosophum 1. Phys. Et contra Veritatem, quia unum contrarium non mutatur formaliter in alterum, sed mediante subiecto. frigiditas aque mutatur in calorem mediante subiecto. Imo si accidentibus tribueretur Materie substantia, forma quoque danda esset. Et ita Accidens, evaderet substantia.

51. Carent itaque Accidentia propria materia, sed loco illius proportionaliter subiectum sumitur: aut materia intelligibilis, quae videtur esse materia, et nihil minus tamen est. ut dictiones sunt materia orationis.

52. Subiectum autem duplex fecit Ariminensis 2. sent. diff. 12. q. 2. ar. 2. nempe subiectum Quod et Quo.

53. Subiectum quod est illud, quod principaliter est propriè sustinet accidentia, id est substantiam dixit esse Aristoteles 4. Met. t. 14. cum enim accidens per se non subsistat, non potest aliud dare existentiam. Vide Thoma. 1. par. q. 77. a. 2.

54. Subiectum quo est medium, cuius interventu accidens copulatur cum substantia. Est ergo accidens aliud intermedium. ut color heret in substantia mediante superficie.

55. Queritur autem transunter, an Accidens possit accidentis subiectum quod esse? ubi distingendum est inter Accidentia. Quedam enim ab alijs accidentibus re non distinguuntur: quedam vero re distinctas sunt.

56. Illa que ab accidentibus re non sunt distincta, sicut figura se habet ad quantitatem, in accidentibus immediate fundantur. Hac vero que re ipsa differunt, ut color et superficies, in substantiam recipiuntur, licet interdum id fiat per media accidentia.

57. Concluditur ergo quod accidens sit potius subiectum quo quam quod non subiecti est sustentare accidentia. Accidens vero non habet potentiam sustentandi, cum ipsum sustentetur.

58. Denique Objectum dicitur materia circa quam, sed improprie. ut: color est objectum visus, id est materia circa quam potentia visiva occupata est.

59. Sufficiat ergo pro ratione nostri instituti tantum de causa materiali interna prima.

60. Sequitur altera, Forma nimirum.

61. Causalitas eius consistit in duobus. ut 1. absuet materiam informando.

2. det

2. aer esse composito h. est, essentiam & actualem existentiam: nec non ad certam &  
definitam Entis speciem restringat, & ab alijs omnibus distinguat.

62. Ubi materiae actuatio, que à forma fit, præcedit; sequitur compositi  
existentia.

63. Intelligendum autem illud est de prioritate nature: tempore enim ha-  
causalitates simul sunt, ita ut per unam & eandem materie attuationem forma refe-  
natur & ad materiam & ad compositum. Quemadmodum per receptionem forme ma-  
teria & ad formam & ad compositum ordinabatur.

64. Quo fundamento præsupposito definimus formam, que dat esse rei.  
*λόγος ο τοῦ τινού είναι. Arist. 2. Phys. t. 29.*

65. In g. triplici consideratione, Physica, Metaphysica & Logica.

66. Physica forma est altera pars compositi, que consistit in attuazione ma-  
terie, per quam composito esse largitur.

67. Cum autem per hanc reruram sit distinctio, non una esse potest in omnibus  
corporibus, naturalibus, quemadmodum materia una est; alias enim non different in-  
ters se corpora, neq; propter insatiabilem materie appetitum perpetuari posset forma in  
materiam semel recepta.

68. Quæstio hic occurrit: unde forma naturalis prodeat?

69. Et distinguit Arist. inter actus, quos nihil prohibet separari: & eos, qui  
sunt à materia inseparabiles. 2. de ani. t. II. Mensem enim extrinsecus accedere docet.  
lib. 2. de generat. animal.

70. De ceteris formis ubiq; statuit, quod ex quodam presupposito educan-  
tur, propterea quod genetio sine subiecto esse nequeat, & quod forma à causis natu-  
ralibus producuntur, que vim creandi aliquid ex nihilo non habent.

71. Producitur ergo forma secundum sententiam Arist. ex potentia materia.  
i.e. materia apta nata est, ut possit forma ab ea produci.

72. Quod ut manifestius intelligatur sciendum est, neq; formam negat mate-  
riam generari, sed totum compositum. Arist. 7. Met. t. 26. 27. & 8. Met. t. 4.

73. Generatio enim duplicum habet terminum, primum ut quem, qui ipsum  
compositum est, alterum ut quo, qui forma est, per quam existit compositum. Illud  
propriè generatur, h.ec non dicitur propriè generari sed potius consecutivè fieri, seu edu-  
ci ex materia preparata, dolata, exasciata consequenter.

74. Forma Metaphysica est tota rei essentia definitione expressa, que analog-  
icè forma dicitur, quatenus totum definitum constituit.

75. Hic oritur difficultas de forma Metaphysica seu quidditate, an sit peten-  
da à sola forma physica: an vero etiam à materia id est, an materia sit pars quid-  
datis.

76. Ut breviter rem agemus. Forma in substantijs materialijs est quidditas, sed  
non absolute accepta, sic enim anima hominis est homo; imo materia frustra est, sicut  
Antonius

*Antonius Andreas & Cajetinus argumentati sunt: Verum cum essentiali ordine & respectu ad materialism, ut ad subiectum & Subiculum suum.*

77. *Forma Logica est differentia, qua generi, ut materie addita, totum constituit. 7. Met. t. 43. & sapientis tantum portio quaedam formae est, aut formae aliquid επομένον ἐπ τοιωδώς.*

78. *Porrò Forma duplex est: alia Interna sive Substantialis: alia Externa sive accidentalis.*

79. *Forma Externa sive accidentalis est exterior cuiuslibet rei effigies, & dicitur dare esse secundum quid, & comparare, ut hominem esse bipedem respectu quadrupedum est forma (non substantialis, sed) accidentalis.*

80. *Forma Interna sive substantialis est, qua ipsam rei essentiam constituit, & dicitur dare esse simpliciter.*

81. *Estq. hec vel Informans vel Assistens.*

82. *Informans vel sumitur pro altera parte compositi, vel pro tota quidditate.*

83. *Priori modo sumpta Physice consideratur. Compositum enim seu formatum constituit, & dat rei esse simpliciter.*

84. *Posteriori modo sumpta est vel Separabilis vel Inseparabilis.*

85. *Separabilis vel per se subsistit, ut spirituales essentiae absolutae: vel dependentiam ad corpus habet, ut anima hominis à corpore soluta.*

86. *Inseparabilis est, que nunquam separari potest, ita ut extra subiectum subsistat. tales sunt omnes relique formae rerum compositarum, sive formae materiales, que si separantur, intereunt.*

87. *Informans haec iterum est vel Communis sive Generalis, vel specifica.*

88. *Communis est, quam formatum habet à suo genere. ut forma corporis, forma animalis, viventis, &c.*

89. *Specifica est, per quam formatum in certa specie constituitur. ut rationale est forma hominis.*

90. *Hujus formae specificae actus arguitur esse duplex: alius τῆς οὐσίας sive essentiae, quo res dicitur esse ut species. alius τῆς τούτης existentie, quo res existit, ut Individuum.*

91. *Huc pertinet questio: An plures forme in uno eodemque composito esse possint?*

92. *Quod quamvis à plurimis negetur, qui non tantum in simplicibus & mixtis, sed etiam in omnibus animalibus unam tantum formam agnoscunt. Thomas. 1. p. quest. 76. a. 4. Faber. 8. Met. q. 4. Socr. 8. Met. q. 9. & alijs. contra eos tamen fortiores rationes habemus, quibus sententiam affirmativam tueri possumus.*

93. *Si enim Elementa manent in mixto, sicut anima non est ex elementis, manifestum est, in animatis duas esse formas distinctas, nempè formam mixti & animam.*

nam. Quas etiam ex interitus diversitate, ex contrariis motibus, ex actione & passione, demonstrare possumus.

94. Forma assistens est, que solum est principium motus & operationis in subiecto. Ut primus motor est forma assistens omnium rerum secundarum. Intelligentia est forma assistens sui orbis. Natura naturae, &c. Nota. Assistens accedere dicitur ad rem perfectam ex materia & forma constantem.

95. Atque tantum de causis Internis.

## COROLLARIA.

I. An forma hominis, seu anima rationalis educatur e potentia materiae, an vero introducatur in potentiam materiae? Inter Theologo-Metaphysicos summos magnus quidam vir contendit in Metaphysicis suis, animam hominis non educi e potentia materiae, sed in eam introduci alibi factam. Persuasus est tali discursu de educi e materiae potentia. 1. requiritur ad educationem aptitudo naturalis in materia, ut anima educatur per naturale agens. hoc verum est. 2. ut anima non possit sine materia & fieri & esse in operationibus retinere. Nec hoc est falsum: conceditur utilissima, arctissima & unitissima inter formam & materiam coherentia. Pergit idem Philosophus. At anima hominis alibi existere potest sine materia seu corpore. E. non educitur e potentia materiae.

Sed venia tanti viri respondemus? quod anima hominis existere potest sine corpore, id non est naturae favore, sed Dei omnipotentis gratia. Si enim naturae conditionem attendas, anima hominis extingueretur dissoluta corporis compage, ut reliquæ formæ corporales omnes cum composito exspirant. Adhuc ergo manet etiam animam humanam e potentia materiae educi.

II. An virtutem sit contra naturam? Aff.

III. An juramenta sint licita? Aff.

IV. An plurimum religionum exercitium in repub. benè constituta concedendum? Ni.

V. An Magistratu Christiano pro sui suorumq; bonorum defensione ac tutela fœdus iniuste licitum sit cum infidelibus, atq; auxilium ab illis, adversus alios, præsertim ejusdem fidei socios implorare? Aff.

VI. Nummi magisne impediunt Philosophum, quam ei expediant?

Illud forsan assereret, qui putabat se non posse simul portare pecuniam & sapientiam, nammos in mare projiciens, Crates Theba apud Laert. l. 6. p. 253. Quid vero Aristippus Dionysio. Philosophum non egere pecuniâ disputanti? Da, inquietabat, & postea de hoc disputabimus. Laert. lib. 2. in vita ejus. Erasm. lib. 3. apoph. p. 207.

Ad

Ad doctissimum & humanissimum Virum.

**Dn. HERMANNVM LISTOR-**  
**PIV M respondeniem, amicum charissimum.**



On polit ornatu mentito virgo pudica  
Nativam faciem. naso suspendit adunco  
Thaidos obscoenæ fucū, fraudemq; coloris.  
Et Meta n̄e physices non usuraria vestis,  
Nec picti vultus persona invenit amo-  
rem;

Nec potis ornari, tantūm contenta doceri est.  
Ite meæ Musæ, versus laudesq; sonoras  
Ferte alijs, artes quas laudis egere putatis.  
Nil agit, ignivomo qui vult affundere Soli  
Flammanteis ignes, medioq; accendere cœlo  
Exiguum lumen, tenebras si fortè fugaret,  
Nec te, LIPSTORPI, balba de nare locutus,  
Laude veham nostrâ. posticas ferre solemus  
Iratè sannas: patiens præsentis honestus  
Nullus laudis erit. patiens absentis honestus  
Cunctus laudis erit. te commendabit honestè  
Ingenium, tantâ si dexteritate probabis,  
Ceu stetit in duro Logicæ certamine. pubis.  
Ante annum, cuius præceps september habebat  
Victorem HERMANNU M, quem cinxit adorea jure.


M. ANDREAS HOIERVS.  
Ex Pomeranis Usdomensis.











Ad doctissimum & humanissimum

**Dn. HERMANNVM**  
PIVM respondeniem, amicum cha-



On polit ornatu mentito  
Nativam faciem. naſo fu-  
Thaidos obſcœnæ fucū, f  
Et Meta nœ physices non u  
Nec piēti vultus perſe  
rem;

Nec potis ornari, tantūm contenta  
Ite meæ Musæ, verſus laudesq; sonora.

Ferte alijs, artes quas laudis egere p  
Nil agit, ignivomo qui vult affund  
Flammanteis ignes, medioq; accen  
Exiguum lumen, tenebras ſi forte f

Nec te, LIPSTORPI, balba de nare l  
Laude veham noſtrā. poſticas feri  
Iratè fannas: patiens præſentis ho  
Nullus laudis erit. patiens abſentis h  
Cunctus laudis erit. te commendab  
Ingenium, tantâ ſi dexteritate prob  
Ceu ſtetit in duro Logicæ certamin  
Ante annum, cujus præceps ſeptem  
Victorem HERMANNU M, quem c

*M. ANDRE.  
Ex Pomer.*




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 024

the scale towards document